

Iari, per medium Octaedri transire potest. Quidam & sunt media puncta duorum laterum, proinde & proxima orbi.

Quomodo si animatus quidam planeta per medium Octaedrum currere iuberetur, & angulos duos pro polis, amplitudinem inscripti pro curriculo obseruare: non hercle mirum, si inuitatus illa amplitudine, vbi nullæ illi metæ obstante per totum ambitum, exorbitaret aliquid, vt Phaethon ille, tantisper, dum repelleretur ab occurrenti latere. Quod per iocum dixi, id seriò aiunt Artifices euenire Mercurio. Cum enim cæteri omnes in singulis revolutionibus describant eiusdem amplitudinis circulos (quantum enim ab una parte discedunt, tantum ex altera viæ parte accedunt ad Solem) solus Mercurius ab Artificibus obtinuit, vt aliquando maiorem, aliquando minorem circum describere diceretur: idque priuilegium merum haberet. Dicunt enim illum accedere & recedere à Centro sui orbis o per lineam rectam r z vbi semidiameter o r longè minorem Circulum describit, quam o z. Nam cæteras inæqualitates omnes cum alijs æqualiter fortis est, nullamque cum hac exorbitatione commutauit. Etcum cæterorum eccentricities omnes, si non proportionaliter, sic tamen decrescent; vt minoris semper minor sit eccentricitas: solus Mercurius immanem habet, nempe decuplum Veneris, cum ipsi ut inferiori minus etiam deberetur. Quare etsi illam inæqualitatem priuatam nondum cum hac circuli ab orbe differentia conciliauerim, nec ea fortasse conciliari possit, vt prodita est ab Artificibus, ad amissim: Nihilominus ego non dubito, quin creator ad figuræ huius præscriptum in motibus Mercurio tribuendis respexerit. Quod diuinior magis magisque mihi & Astronomia & Copernici placita, & hæc ipsa s. corpora videntur.

Quærant alij, qui voluerint, cæterarum etiam eccentricitatum causas ex suis quaque corporibus. Cum enim neque hæ exorbitationes à Deo temerè & sine causa tantæ singulis Planetis indulgæ sint: non desperanda est neque harum causarum inuestigatio.

Porrò, varietas Mercurij ad Octaedron accommodetur, hic

H 2 agi

